

qui diceret ardere ipsam sancti Urbani basilicam videlicet sitam ante
valvas monasterii parochianam ^{b)} ecclesiam. Actum putavi et de libe-
ratione ipsius ^{c)} monasterii pene desperavi, nisi quod in memet ipso
canebat spiritus meus: In ira misericordie memor eris ¹⁾. Deinde post
5 moram non modicam cepit illud quoque intra memet ipsum canere
interior homo: Benedico te, pater domini mei Jesu Christi ²⁾, quia per
filium tuum ignis extinctus ^{d)} est a latere meo. Et ita factum erat.
Venerunt quippe continuo qui dicerent decidisse incendium salvumque
et incolume reliquisse cum claustro monasterium; tantum autem collate-
10 rales ^{e)} domos sive officinas omnes cum areis in favillam et cineres esse
redactas. Quis hoc sperare poterat? Quis nisi Deus hoc facere potuisset,
cuius auxilium multitudo populi utriusque sexus ex ulteriore Rheni
littore prospectans suppliciter ac ^{f)} devotissime inclamabat. Viderunt
enim plerique illorum et hoc publice fatentur quia viderunt virum
15 speciosissimum super monasterii culmen levo latere sive cubito ^{g)} in-
nixum et sublata ^{h)} manu dextera impetum ignis abigentem, qui iam
turrim campanariam introrsum corripuerat. Audito hoc bono nuntio
revertebar post noctem tristem die reddito, et ecce parochianus ¹⁾
sacerdos ecclesię supra memoratę nomine Stephanus divulgabat mihi
20 maxime ^{k)} denarrare properans dulce et iocundum ¹⁾ miraculum, signum
valde bonum magnumque et evidens vigilantis circa nos divine pro-
pitiationis indicium.

5 Pixidem ^{a)} ligneam et in ea corpus dominicum ^{b)} habuerat secus
altare de more repositum in fenestra sive absida introrsus in muro
25 tegulis ligneis compacta ^{c)} cum ostiolo et sera. Erant autem cum iam
dicta pixide et alia vascula ad sacrum ^{d)} ministerium pertinentia, vide-
licet alia pixis hostias continens non consecratas, ampulla quoque
vinaria et ipsa stagna et vasculum thuris et candeles et aliquid lini;
quorum meminisse nos exigit causa tanti miraculi. Denique in illa
30 fortitudine vehementis incendii, cum non solum ipsa basilica, verum
etiam totum castelli spacium quasi unus esset caminus — multo maior
quam ille Babylonius ignis, cuius flamma diffusa est *supra fornacem*

^{b)} parrochiam B ^{c)} folgt puta B ^{d)} exstinctus M ^{e)} conlat. AJ ^{f)} et
AJM ^{g)} cubitu AJM ^{h)} sublevatum AJM ⁱ⁾ paroch. B ^{k)} max.
mihi B ¹⁾ iucundum AJM

5 ^{a)} Pyxidem M (stets pyxis) ^{b)} Domini cum M ^{c)} copacta B ^{d)} ad
aliarum sacrarum B

¹⁾ Vgl. Habac. 3, 2 ²⁾ Vgl. 1. Petr. 1, 3; Antiphon Benedico te ... in
den Laudes an Festen der Jungfrauen Agnes, Lucia, Caecilia, s. R.-J. H esbert,
Corpus Antiphonalium Officii 1 (Rom 1963) S. 5, 45 b, 118, 120^a, 126